



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118650**

§. 23. Memphitica, seu Cairensis Synodus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67246)

ac Christiana militum disciplina, & de- Sæcul. XVI.  
 mum de fodalitatibus, piisque locis, & A.C. 1582.  
 de modo in illis versandi. Postremo  
 sanctiones decernuntur de Religiosarum  
 Virginum monasteriis, necnon de iis,  
 quibus ea ingredi licet, ubi circa hunc  
 ultimum articulum Synodus hæc sta-  
 tuit: si quis præter illis, quibus ejus-  
 modi monasterii septa ex Episcopi licen-  
 tia ingredi licet, id attentaverit, pæ-  
 nam excommunicationis Pontifici reserva-  
 tæ ipso facto subeat, aliasve arbitrio Epi-  
 scopi: *Abbatissæ vero, Priorissæ, & alie  
 Moniales, quæ Ecclesiasticos, aut laicos  
 homines quavis causa, prætextu intra  
 Monasterii septa absque Episcopi concessu  
 literis consignato ingredi permiserint, ipso  
 facto excommunicationis pœnam subeant, a  
 qua e sanctionis sanctissimi Domini nostri  
 Gregorii Papæ XIII. præscripto, non  
 possint, nisi a summo Pontifice absolvi, præ-  
 ter alias pœnas eadem constitutione pro-  
 positas. Quæ vero Moniales absque Epi-  
 scopi concessu scriptis exarrato, quemquam  
 vel marem, vel sceminam, contra quam  
 supra præscriptum est, ad collocationem,  
 rotarumve loca admiserint, biennio multa-  
 tæ sint suffragio omni.*

§. XXIII.

*Memphitica, seu Cairensis Synodus.*

Eodem

Sæcul. XVI.  
A.C. 1582.

*Labb. p. 882.*  
*Possiv. ap-  
par. t. 2.*  
*Spond. an-  
nal. n. 2.*

Eodem hoc anno Domini millesimo quingentesimo octogesimo secundo Gregorii XIII. Papæ auctoritate alia Synodus Memphis, seu Cairi in Ægypto in mense Decembri celebrata, eaque tribus sessionibus expedita est, ad quarum primam Episcopi cum nonnullis hujus regionis Proceribus concurrebant, quamvis Patriarcha Alexandrinus unacum pluribus Abbatibus, ac triginta primæ Nobilitatis Viris nonnisi secundæ sessioni interesset. Iidem quoque tertiæ sessioni intervenerant unacum quibusdam Jesuitis eo a Papa decretis, inter quos præcipuus fuit Pater Joannes Baptista Romanus. Ceterum eo tempore præfata urbs circiter quinquaginta Cophtorum Christianorum millia recensebat: in prima autem hujus Synodi sessione discutiebantur causæ, ob quas hæc gens sese a Romanæ Ecclesiæ communione segregaverat, ubi tota culpa rejiciebatur in Pseudo-Synodum Ephesinam a Dioscoro hæretico absque ulla auctoritate congregatam, in qua recipiebatur error Eutychetis, qui duas in Christo naturas negabat, unde accidebat, ut Cophti tum morum perversitatem ignorantia adjunctes crederent, quod duæ naturæ in unica Verbi Hypostasi unitæ pariter duas Hypostasas efficerent, pro-  
ut

ut Nestorius tradiderat, quam tamen Sæcul XVI.  
A C 1582.  
doctrinam genuina Synodus Ephesina  
antehac condemnauerat.

Demum in secunda sessione toto studio Cophtis demonstrabatur, quod illorum errores priscis Conciliis, necnon fidei a divo Marco receptæ aduersentur, simulque, si duas in Christo naturas negarent, cuncta sus, deque vertent, ac ejusdem mendacii ope propugnarent, quod Verbum humanam non induerit naturam: postea autem Synodus ea, quæ hi hæretici objiciebant, diluebat: porro in alterum mensem rejiciebatur sessio tertia, in qua tamen nullo ferme negotio conventum, abolendam esse circumcisionem, quinimo postquam per integras sex horas de duabus in Christo naturis fuerat disceptatum, una omnes concordia suffragio hanc veritatem professi sunt, atque oppositam hæresin abjurarunt (\*): quapropter

(\*) Ita nempe quando Catholici contra hæreticos Christianæ fidei dogmata propugnant, aut veritatis efficacia victoriam reportant, & dissidentes ad Ecclesiæ unionem revocant, aut prævalente hæreticorum pertinacia nunquam eorum veneno inficiuntur, cum econtra, quoties hæretici etiam inter se digladiantur, nunquam in eorum disputationibus veri-

Sæcul. XVI.  
A.C. 1582. pter Synodus ita decidebat: *anathema sit, si quis Christum humana natura spoliaret, qui cum idem Deus, idem etiam est verus homo, & divinam habet a Patre suo jam inde ab omni æternitate naturam, & humanam sumpsit ex Matre definitis temporum spatiis: ibidem quoque statuitur, Cophotos, quamquam duarum abstineant naturarum appellatione, non tamen negare, quod Christus sit Deus, & homo, sed ab ea loquendi ratione illos idcirco refugere, ne consuetudo ipsa loquendi duas inducere videatur hypostases.*

Ceterum hæc Synodus nonnisi prima Februarii die anno sequenti absoluta est.

## §. XXIV.

*Plurium Pontificum conatus in emendando Calendario.*

*Paul. Jov. in elog. 149. Ricciol. chr. ref. Blondel. hist. des Calend. Rom.* Cum longo temporis progressu adeo crassi, atque enormes errores in Calendarium irrepsissent, ut festa haud amplius debito tempore celebrarentur, necnon Paschatis solemnitatis, quæ tempore inter plenilunium, ac postremam primi mensis lunaris lunationem, seu lu-

veritas fuit dilucidata, sed semper ex affectato concordiae studio schismata, novæque sectæ fuerunt exortæ.